

/ Admodum Reverende Pater. Scripserat mihi V.R. mense superiore, se bene affectum esse erga Societatem Iesu, et compati illi ob aliqua pericula, quae instare viderentur ob doctrinam patris Marianae Iesuitae. Ideo respondi gratias agens pro benevolentia erga Societatem. Sed paulo post ostensa mihi fuit concio P.V. quam habuit isthic Parisiis adversus patres Societatis; qua visa, miratus sum vehementer, nec potui rationem ullam excogitare, cur P.V. tam publice, et tam iniuste infamare voluerit ordinem religiosum, quem scēbat ab ipso rege amatum, et honoratum. Deinceps ergo, nisi P.V. publice famam restituerit innocentibus, diligam quidem te, sed ut inimicum, et orabo pro te, ut pro persequente, et calumniante; sic enim Dominus noster mandavit, cum ait: Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos. Romae die 19 Iulii 1610.

---

15 Epist. famil. LXXV.